

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Strabonis Geographicorum [geographicorum] Lib. XVII**

**Strabo**

**Basileae, 1539**

Argumentum octavi libri.

**urn:nbn:de:bsz:31-67095**



inquit, è Scotusa Theſſaliæ. Eſt enim Scotuſa urbs Theſſaliæ Pelafgicæ. Conco-  
mitatæ enim plurimæ ſunt ſceminæ, quarum è ſtirpe prognatæ ſunt, quæ hac tem-  
peſtate prophetides diuinandi officium gerunt. Quo ex factò Pelafgicum uocari  
Iouem inſueuiſſe. Cineas autem longe maiores fabulas contextit.

Scotufa.  
Propheides.  
Pelafgicus Iup-  
piter.

## LIBRI SEPTIMI FINIS.

## ARGVMENTVM OCTAVI LIBRI.

IN octauo continetur pars Europæ, in qua reliquum dicitur de Macedonia, tota  
etiam exponitur Græcia, in qua pertractanda diutius immoratur, propter mul-  
tam rerum nobilitatem & locorum, & neglecta & indiſcretæ penes hiſtoricos atq;  
poëtas diligenter aperteq; deſcribit, uti ſunt eius regionis urbes, ab Homero tam in  
nauium dinumeratione, quàm per totam poëſin, alijs multis in locis commemo-  
rata.

# STRABONIS

## GEOGRAPHICORVM

LIBER OCTAVVS.



OSTQVAM peragratis occiduis Europæ regionibus que  
interno & externo mari continentur, Barbaras etiam eius  
nationes, usque Tanain uniuersas circuiuimus, & Græ-  
ciæ partem nõ magnã cum Macedonia, nunc Græciæ de-  
scriptionem reliquam absoluemus atque reddemus. Eam  
Homerus quidem prior, dehinc alijs complures tractaue-  
re. Quidam peculiariter uel portus, uel nauigationes, uel  
circuitiones terrestres, uel tale aliquid deſcripserunt, in  
quibus & Græcanicæ partes continentur. Quidam uero in communi historia-  
rum conſcriptione seorsum litoralium locorum demonstrationem literis ostende-  
runt, quemadmodum Ephorus egit atq; Polybius. Aliqui autem ad naturæ lo-  
cum etiam mathematica quædam assumpserunt huius generis, sicuti Poſidoni-  
us & Hipparchus. Cum igitur res aliorum recte iudicatæ sint, Homeri dicta cen-  
ſoris animaduersionem postulant, atque indigent, cum poëticum in morem di-  
cat, nec huius ætatis loca, sed & illa peruetusta, de quibus permulta obscurauit  
ætas. Pro uiribus igitur enitendum, sumpto ubi deſiimus exordio.

Noſtra uero ab occaſu, ac ſeptentrione ad Epiroticas gentes, ac Illyricas finieba-  
tur oratio, ab ortu autem ad Macedonia populos usq; Byzantium. Post Epiroti-  
cas gentes itaq; ac Illyricas Græcorum Acarnanes ſunt & Ætoli & Locri cogno-  
mine Ozolæ, ſecundũ iſtos Phocenses & Bœotij. His autẽ obiecto pelago medio  
Peloponnesus cõtra reſpondet, que intra mediũ, ſinum Corinthiacum accipit, illi  
quidem formam exhibens, & ab illo uiciſſim formam capiens. Post Macedonia  
uero Theſſala natio eſt usq; ad Maleos & alios tam intra iſthmum quàm extra, præ-  
ter quos permultæ gentes fuere. Supra quidem tot ſunt quot linguarum Græcien-  
ſium differentia nobis perceptæ ſunt. Iſtas ipſas cum quatuor eſſe conſtet, Ionicã  
eandem quam priſcam illam Atticã aſſerimus, eius enim ætatis Attici Iones uo-

Acarnanes.  
Ætoli.  
Locri Ozolæ.  
Peloponnesus.  
Theſſalia.  
Linguarũ dif-  
ferentia apud  
Græcos.  
Attici.  
Iones.